



Forum Romanum Scripts

Script: Non humilis mulier (cleopatra)!

DATE: 10 august, 30 Bc

Salutatio

Favonius: Salvete, omnes! Mihi nomen est Marcus Favonius et hoc est Forum Romanum!
Quid novi est hodie? Brevi tempore videbimus. At primum, ecce Quaestio Hodierna!

Quaestio Hodierna

Lector: Quaestio hodierna est de rebus Aegyptiis: Unde erant Ptolemaei?
Responsum dabitur ad finem Fori Romani.

QVID NOVI?

Favonius: Et nunc videamus quid novi sit. Hos nuntios modo recepimus. Cleopatra est mortua!
Cleopatra, regina Aegypti, mortem sibi conscivit. Ut nobis nuntiatum est, Cleopatra se interemit morsu serpentis, aspis erat, ut nuntium est. Cleopatra mortua, regnum Ptolemaeum in Aegypto nunc finitum est. Ptolemaei, autem, qui a Macedonia venerunt, Aegyptum regebant usque a morte Alexandri Magni, paene trecentis annis ante. Ut videret quid cives Romani putarent de morte Cleopatrae, hodie antea Iulia Pauli ad Forum ivit.

ET ALIA (Iulia Pauli in Forum interviewing passers-by)

Iulia: Adsum in Foro Romano. Magna commotio est hic in Foro, nam multi cives modo audiverunt Cleopatram tandem mortuam esse. Salve, mi amice! Licetne mihi rogare pauca?

Civis: Licet, paulisper.

Iulia: Quid tu censes de morte Cleopatrae?

Civis: Gaudeo multum! Fatale monstrum mortuum est! Nunc est bibendum, ut aiunt! Ergo, eundum est mihi!

Iulia: Ave atque vale! Heus tu, te volo!

Horatius: Mene vis?

Iulia: Maxime, si licet. Mihi nomen est Iulia Pauli et velim rogare pauca de morte Cleopatrae.

Horatius: Agedum, roga.

Iulia: Gratias, amice. At quid est nomen tibi?

Horatius: Quintius Horatius Flaccus.

Iulia: Horatius Flaccus, hem ... hoc nomen novi. Nonne tu poeta es?

Horatius: Quidam sic censent.

Iulia: Quid tu hic in Foro?

Horatius: Ibam forte Via Sacra, sicut meus est mos, mortem Cleopatrae meditans.

Iulia: Mirandum est, nonne? Audistine de serpente? Aspis erat, ut aiunt.

Horatius: Iam audivi. Tractare aspidem asperam! Non humilis mulier, Cleopatra, ad usque supremum tempus!

Iulia: Fortasse. Illi Ptolemaei! Omnes dementes, ut mihi videtur.

Horatius: Certe nescio. Verum constat Cleopatram dementem pugnare cum Octaviano, sed regina pulsa est amore Antonii, nonne?

Iulia: Stultus et improbus hic amor erat!

Horatius: Fortasse. At ingenium ingens erat in Cleopatra. Certe erat Cleopatra mulier gratissima; nam sic censuerunt non solum Marcus Antonius sed etiam Iulius Caesar.

Iulia: Verum est. Ut tibi videtur, cur Cleopatra tam gratissima erat?

Horatius: Cur? Non tam certus sum. Haec erat mulier comis urbanaque atque intellegens et audacissima. Nonne tu audisti de Cleopatra se in tapeta celante ut ad Caesarem adveniret?

Iulia: Audivi. Audacter factum!

Horatius: Ita vero. At tamen, me paenitet, non est mihi tempus. Necesse ire est. Numquid vis?

Iulia: Satis habeo, gratias. Nil ultra quaero. Quo nunc iter est tibi?

Horatius: Rus eo, nam hic in Foro sunt multi qui me vexent. Ecce vulgus!

Iulia: Vale, Horati. Totum est, Marce Favoni. Rursus ad te!

Favonius: Gratias, Iulia. Bene factum.

Tempestas Hodierna

Favonius: Tempus est audire de tempestate. Quam ob rem, hic est Aulus Serenus!

Serenus: Gratias tibi ago, Favoni. Videamus quaenam sit tempestas hodie. Totam per Italiam aestuosa est hodie, ut semper his temporibus anni. Auspicia autem sunt bona ad tempestatem crastinam. Ventosum est autem in Graecia, praesertim hic in Macedonia, unde venerunt Alexander Magnus et primus Ptolemaeus. Et ventosum est apud Actium, ubi Caesar Octavianus navali proelio superavit Cleopatram Antoniumque. In Aegypto, regno Cleopatrae terraque pyramidum aridum et percaldum est. Ecce Nilus, fluens in Mare Nostrum! Ecce Alexandria, ubi est bibliotheca clarissima et Pharos notissimus. Auspicia mala sunt Aegypto ad tempestatem futuram. Fortasse illi di Aegyptiaci Isis et Serapis atque Osiris, quocum nunc est Cleopatra, habent nil potestatis aut sanctitatis in re tempestatis! At tamen, iam satis est. Aulus Serenus sum atque spero caela sint vobis valde serena!

Responsum Quaestioni

Favonius: Multas gratias, Serene. Et nunc, ecce responsum quaestioni hodiernae.

Lector: Quaestio hodierna erat ut sequitur: Unde erant Ptolemaei?
Responsum est hoc: a Macedonia

Dictum Hodiernum

Favonius: Nunc tempus est videre nostrum Dictum Hodiernum!

Lector: Hoc est dictum hodiernum: Non humilis mulier!

Valedictio

Favonius: Verba notanda.

Ut repetamus nuntios principales: Ut repetamus nuntios principales: Cleopatra mortua est!
Totum est ad hanc editionem Fori Romani. Gratias summas agimus et di vobis faveant. Valet omnes!

Forum Romanum
Show #6: Non Humilis Mulier!

© 1996 by John Donohue